

USUS E VERSU XXIII.

(1) Congregandi omnino fuerunt populi vel gentes, atque regna, Messie regno inchoato. L. de vocatione gentium.

(2) De cultu Dei, non externis absoluto ceremoniis, sed sanctitatem justitiamque imprimis exigentibus, v. Rom. XIV, 17. Luc. I, 75.

USUS E VERSU XXIV.

(1) Diversimodè affligitur robur nostrum in via ad Hierosol. supernam; delassamur, macilentum redimur, morbis impetimur, &c. Verùm aliter evenire nequit: Act. XIV, 22. 2. Tim. III, 3. 12. imò sic bene nobis prospicitur: 1. Cor. XI, 32. Ps. CXVIII, 18.

(2) Non malè pii afflictionum suarum originem referunt ad Deum: ipse afflixit, permittendo, dirigendo, determinando, &c. Job. I, 21.

(3) Decurtantur dies, quando terminum vite communem non attingimus, vel quando per arumnas debilitati decedimus ante tempus, nec robur speratis frui possumus ex voto. Decurtantur etiam dies per inobedientiam, luxum, intemperantiam &c. que ipsa fideles declinant circumspicere.

USUS E VERSU XXV.

(1) Optimum contra afflictiones vitæque dispendia remedium, alloqui Deum ipsum per preces.

(2) Vitæ certum à Deo præsumum spatium. L. de Provid.

A (3) In morte ascendimus: vide annot. textus.
(4) Duratio Dei caret initio ac fine, caris mensura annorum aut seculorum; v. Æternitatem.

USUS E VERSU XXVI.

(1) De terræ fundatione;

(2) Cælorum efformatione, in L. de Creatione.

(3) Hoc ipso opere vera demonstratur Deitas: Jer. X, 11.

USUS E VERSU XXVII. & XXVIII.

(1) De cæli terræque interitu, num ille futurus per annihilationem, vel meliorationem, in L. de Consummatione seculi. Vide modo, ne cum mundo percas; 1. Joh. II, 16. 2. Pet. III, 11.

(2) De Dei immutabilitate atque immortalitate, in L. de Deo.

(3) Cum hoc erimus & nos sine fine: 1. Thess. IV, 17. ad æternam namque vitam sumus & conditi, & reparati: Sap. II, 23. 1. Pet. I, 4. Etiam si ruat orbis; Deus tamen persugium piorum manet.

USUS E VERSU XXIX.

B (1) Seminis vel posteritatis nostræ curam gerimus omnes, proque illius felicitate oramus jugiter.

(2) Post vite hujus exilium ac divagationes, speranda illic mansio seu Habitatio firma: Ebr. III, 14. Ps. XXXIX, 13. 14. 2. Cor. V, 1. seqq.

(3) Nihil est, florere coram mundo; sit namque hoc ad tempus modicum: Ps. XXXVII, 35. Beati autem verè sunt illi, qui firmantur coram Domino.

PSALMI CIII. DISPOSITIO.

Clemens, ut Patris, gratia. Anima exultans.

EST hic I. Dei benigni encomium: ubi nostrum debitum: (a) *ô anima mea, & cuncta interiora mea, benedicite Domino sanctissimo*; (b) *ne obliviscaris omnium ipsius beneficiorum*: v. 1. 2.

II. Recensio causarum, seu Impulsivum: tum personale: (a) *condonat tibi omnes iniquitates tuas*; (b) *sanat quaslibet infirmitates tuas*; v. 3. (c) *redimit vitam tuam à pernicie*; (d) *coronat te gratiâ ac miserationibus*: vers. 4. (e) *bono exsaturat os tuum*; (f) *juventutem tuam instar aquilæ restaurat*: vers. 5. Tum commune: (a) *facit justissima judicia cunctis oppressis*: v. 6. (b) *patefacit Mosi filiisque Israel vias atque opera sua*: v. 7. (c) *est misericors, benignus, longanimis, gratiosus*: v. 8. non conten-

dens in infinitum: v. 9. non rependens secundum peccata nostra: v. 10. quin gratia sua super timentes se, adeo amplius, ut cælum superet late expansionem: v. 11. ut delicta nostra à nobis elonget plus, quam oriens ab occidente distat: v. 12. ut patris erga filios affectus superet: v. 13. (d) attendit debilitatem nostram, quod simus (n) pulvis, v. 14. (e) gramini florique agresti similes: v. 15. 16. (f) gratia veritasque Dei super timentibus ipsum est æterna: v. 17. 18. (g) in cælo firmavit thronum suum: (h) regnum ipsius dominatur in omnia: v. 19.

III. Conclusio excitatoria ad (1) benedicendum: (2) excitati autem sunt (a) angeli exercitusque cuncti: v. 20. 21. (b) opera Dei universa: (c) ipsa Psal. anima v. 22.

PSALMUS CIII.

EXPLICATIO VERSUS I.

ברכי Benedic:) i. e. laudibus extolle debitis, &c. vide Psal. LXXXIX, 53. XCVI, 2. & C, 4. Adde locum de laudibus Dei egregium ex Epicteto apud Quistorp. h. 1.

ô anima mea:) devotionis debitæ concitandæ ergo compellat David principalem sui partem, animam, ne perfunctoriè, labiisve solum externis, hoc exequatur munus, verum ut præsentem sit animò, ut omnes intendantur

nervi, intellectu serio meditante, voluntate tota propendente, affectibus in Deum unice colimantibus, quales sunt desiderium, gaudium, fiducia, spes &c. Similis animæ propriæ ad laudes compellatio habetur Psal. CIV, 38

ברכי & cuncta interiora mea:) ut tantò perfectior sit præiens devotio, accersuntur unà etiam interiora cuncta viscera, facultates ac singulæ velut venulæ aut nervi, quo singulæ minores rotulæ in hocce horologio unanimiter concurrant ad sonum illum gratitudinis temperatum

E e e e z

fivum